



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XLV. De Irreligiositate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

formidaret id eum superstitiosè præstiturum, & fecit. Si tamen miles præfens fuisset, & vidisset illum signa superstitiosa parantem adhibere, non potuisset permittere: quia permittere vt circa te, vel rem tuam, te præfente, magica medicatio fiat, est in illam consentire; quia sine tuo consensu ne-

mo tibi vel rebus tuis in tuo conspectu medicina applicare potest: imò est moraliter illis vri, & applicare. Medicus enim se habet instar instrumenti respectu eius qui eum adhibet, qui per illum curare dicitur. Vnde propriè dicimus nos vri opera Medicorum.

CAPVT XLV.

De Irreligiositate.

Habet 5. Dubitationes.

Expositis vitiis religioni oppositis per excessum; proximum est vt dicamus de iis, quæ eidem opponuntur per defectum, quæ nomine Irreligiositatis comprehenduntur, & à D. Thoma quatuor numerantur; vt dictum est c. 43. in principio: Tentatio Dei, Sacrilegium, Periurium, Simonia. His adde Blasphemiam & Infidelitatem, id est, voti violationem. Etsi enim blasphemus à D. Thoma 2. 2. quæst. 13. statuatur vitium confessioni fidei oppositum, tamen etiam opponitur religioni per defectum cultus, vel potius contemptum: sicut conuitium & contumelia in hominem opponitur obseruantia. Vnde propriè ad irreligiositatem pertinet. similiter infidelitas, quatenus hoc nomine significatur voti violatio. Alia enim deformitas est in eo quòd fides Deo data violetur, & promissum non præstetur; alia in rei sacræ Deoque consecrate indigna contrectatione. Vnde videtur species à sacrilegio distincta, quamuis sacrilegium quoddam interdum sit coniunctum, vt infra numero 11. dicitur. De Periurio, Infidelitate, & Simonia supra satis dictum est. Itaque superest Tentatio, Sacrilegium & Blasphemia; de quibus hoc capite nobis est tractandum.

DUBITATIO I.

Quid sit tentatio Dei, & quale peccatum.

Diuus Thomas quæst. 97.

1 Tentatio.



TENTATIO generatim est dictum vel factum ad capiendum de aliquo experimentum, vt sciatur qualis sit potentia, scientia, bonitate, voluntate, &c. vt cum quis examinatur in aliqua scientia, vel cum sit alicui contumelia, vt videatur quid facturus sit. neque tantum dicitur quis tentare dum id facit vt ipse sciat, sed etiam quando aliorum causâ: quo modo Deus dicitur tentasse Abraham, Iob, Tobiam, & alios sanctos, vt mundo illorum virtutem manifestam faceret, & in exemplum proponeret. Aliquando tentare idem est quod ad malum incitare: inde enim capitur experimentum virtutis vel vitiositatis hominis: quomodo diabolus & concupiscentia dicitur hominem tentare, & Deus dicitur intentator malorum. *ἀπειρασὸς ὁ γὰρ, ὅτι νενίμην tentare*, Iacobi 1. In proposito, Tentatio Dei est quando quis absque iusta causa aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum diuinæ potentia, sapientia, iustitia, misericordia, voluntatis, aut alterius attributi. Colligitur ex D. Thoma art. 1. & sequenti.

2 Tentatio Dei.

Dico, absque iusta causa. quia si iustam causam habeat, non erit tentatio, vt si fiat ex diuino instinctu, vel habeat quis donum miraculorum, aut fanitatum; vel si honor Dei & Religionis defensio postulet opus ad quod tale experimentum sit necessarium. Voco autem experimentum diuinæ potentia, &c. omne extraordinarium opus vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem præstitum, quo eius potentia, sapientia, iustitia quasi experiendo cognoscitur. Debet autem hoc à Deo peti vel expectari: alioquin non dicitur fieri ad capiendum experimentum. vnde non erit tentatio Dei, vt si quis se coniciat in ignem, vt se interficiat, non expectans vt à Deo conferretur illud. Hic enim non committit hoc peccatum, sed solum sui homicidium. Consistit itaque huius vitij deformitas in illa irreuerentia, quæ Deo fit, cum absque iusta causa opus aliquod vel auxilium extraordinarium ab eo petitur vel expectatur. Vult enim Deus ordinem naturalem seruari, & causas naturales iam institutas adhiberi, quantum fieri potest, neque absque necessitate statuit hunc ordinem prætermittere, nisi cum ipsi ob causas occultas aliter visum fuerit. Itaque cum nulla est necessitas, & nullum nobis suppetit indicium istius voluntatis, irreuerenter agimus, extraordinariam opem ab eo petendo, vel expectando. Nimia est illa familiaritas, & veluti cum socio, non considerans illius maiestatem & nostram indignitatem, neque sese intra suum modum continens, & veluti dedignans modis ordinariis vri. Sicut enim Reuerentia Dei. reuerentia Dei in eo sita est, quòd considerata illius maiestate, & nostra vilitate, non audemus nos liberè & soluto curis animo rebus diuinisingere, diuina scrutari, cum Deo agere, ab eo quiclibet petere; sed semper metuemus & circumspicimus, ne liberius, solutiùs, audaciùs quàm conueniat nostræ humilitati & illius celsitudini, cum eo agamus: ita irreuerentia nascitur ex defectu illius considerationis, & consistit in quadam audacia & libertate tractandi diuina, vel agendi cum Deo, & quiclibet ab eo petendi, nulla habita ratione illius maiestatis, & propriæ vilitatis. Vnde patet, hoc vitium esse contra reuerentiam diuinam, quatenus illi reuerentiæ aduersatur petitio auxilij extraordinarij absque necessitate.

Mallia huius vitij in quo sita.

Reuerentia Dei.

Potest autem hæc tentatio fieri dupliciter, Primò expresse, quando directa intentione talis experimenti capiendi aliquid agitur; vt si petas miraculum, vt tu vel alius sciat Dei in aliquo negotio voluntatem; si falsas in pureum, vt experiaris an Deus te sinet lædi, quomodo fecit quidam Monachus apud Cassianum Collat. 2. Abbatibus Moyses c. 5. Si petas miraculum, vt scias vtrum Deus possit face-

3 Fit dupliciter: expresse, implicite.

re. quæ tentatio eò grauior est, quòd coniunctam habeat infidelitatem, & ex ea procedat.

Secundò, interpretatiuè, quando non intendis tale experimentum sciendi causâ, facis tamen aliquid ob alium finem, quod ex se auxilium Dei extraordinarium requirit, illudque temerè à Deo expectas & expetis. vt si quis vellet abstinere cibo & potu tota Quadragesima, vt Christum imitetur, persuasus Deum vires præbiturum; nisi diuino instinctu id in animum inducat, vt Simeon Stylites. si alicui alteri periculo sine necessitate se committat, à quo sine extraordinaria ope Dei non possit eripi, eamque opem à Deo temerè expectet. Huc pertinent purgationes vulgares, quæ fieri solent ferro candenti, vel aqua feruente, in quibus expectabatur incolumitas ab ope diuina extraordinario modo præstanda. quæ reprobantur à Iure cap. Omnibus, & c. Consultuisti 2. q. 4. Item purgationes quæ duello, in quo expectabatur vt Deus tueretur partem innocentem, quod damnatur cap. Monomachiam, ibidem. & cap. 1. & 2. de Purgatione vulgari, & à Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. de Reformatione.

4
Quale peccatum.
Porro hæc tentatio Dei, peccatum est; mortiferum quidem, Primò, Quando prouenit ex crassa ignorantia, vel dubitatione earum rerum, quas homo scire debet, vt potentia, sapientia, misericordia, iustitia, providentia, aut alicuius articuli fidei. Secundò, Quando coniunctum est cum aperto vitæ periculo, aut grauis læsionis; vt si te ex turri des præcipitem, putans Deum te excepturum, quod prohibitum est Deut. 6. vt constat ex cap. 4. Marth. Item si in graui morbo remedia naturalia spernas, temeraria persuasione expectans à Deo sanitatem supernaturali modo. Est autem in huiusmodi peccatis duplex malitia; nimirum propria huius vitij, quæ in eo sita est, quòd homo non satis reuerenter agat cum Deo, petendo vel expectando ab illo sine iusta causa opem extraordinariam, vt dictum est. quia irreuerentia sæpè non est mortifera, sed venialis tantum, & malitia alicuius alterius vitij, v. g. infidelitatis, vel læsionis aut occisionis sui, &c. pro ratione materiae in qua versatur opus, aut finis qui intenditur, vel alterius circumstantia.

Nec obstat quòd Deus olim videatur sæpè purgationibus vulgaribus periculosissimis miraculo fauisse; vt ex multis Historiis constat, quas commemorat noster Delrius lib. 4. de Magia c. 4. quia id factum vel ob simplicitatem illius sæculi, cum multi etiam Episcopi putarent in quibusdã euentis esse licitas; vnde etiam erant satis vfitatæ: vel quia innocentes suspecti ad eas cogebantur, interdum quoque euentus non respondebat.

Tertiò, Quando est periculum scandali; vt si quis publicè absque necessitate offerat experimentum miraculosum ad confirmationem fidei; nisi fortè sentiret se dono miraculorum præditum, vel peculiari instinctu Dei se ad hoc impelli.

Quartò, Si ex curiositate, vt videat res mirabiles, petat miracula: est enim magna in Deum irreuerentia; quia agit cum illo tamquam cum ludione, & fauore curiosorum. Veniale autem erit vel ratione ignorantia non crassa, aut inconsiderationis, vel ratione exiguitatis materiae aut periculi. Vide Toletum lib. 4. c. 16. & Caietanum in Summa v. Tentatio.

5 Si iusta causa suppetit, non erit peccatum, nec

propriè tentatio Dei. Iusta causa est Primò, Diuina inspiratio. Sic Abraham Genesis 15. petiit à Deo signum, vnde sciret semen suum possessurum terram Chanaan, quam ei Dominus promittebat; & Gedeon, Iudicum 6. petiit bis signum in arca & vellere, vnde cognosceret an reuera Deus per ipsum vellet populum liberare, sicut Angelus dixerat. eodem pertinet illud Isaia 7. vbi Dominus videtur præcipere Achaz vt signum petat: *Pete, inquit, tibi signum, (scilicet futuræ liberationis) à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Quamvis dici possit, Dominum non præcepisse, sed obulisse. peccauit autem Achaz recusando petere, quia ex infidelitate noluit. Secundò, Necessitas; vt si infidelis, cui alia ratione cognoscendæ veritatis non occurrit, bona mente petat miraculum, vt sciat vtrum hæc doctrina sit à Deo. Sic Epiphanius hæresi 30. narrat Christum apparuisse cuidam Iudæo, & præcepisse vt peteret miraculum; & sic crederet.

DVBITATIO II.

Quid sit sacrilegium.

Dinus Thomas questione 99.

6
Sacrilegium dicitur à *sacris legendis*, id est susurandis: Græcè *ισπορικία*, quod idem valet, ac *συλαίη τὰ ιερά*, quod est prædari vel violare sacra: vtrumque enim *συλαίη* seu *συλαίη* denotat. Accipitur interdum generatim, vt etiam cõtinèat impios cultus: sic sacrificia idolorum vocantur ab Augustino & aliis Patribus sacrilega sacra; & pacta cum dæmonibus, sacrilega pacta. Propriè tamen accipitur *pro violatione rei sacrae*, siue pro iniuria & irreuerentia quæ fit Deo indigna tractatione rei sacrae. Multis enim modis Deo iniuria irrogari potest, blasphemia, idololatria, magia, variis superstitionibus, periurio, & indigna rerum sacrarum tractatione: sed ea sola quæ postremo modo fit, propriè *sacrilegium* dicitur. *Res sacra* vocatur, quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata est, siue sit persona aliqua, vt sacerdos; siue res alia, vt templum, altare, calix. Hæc dicitur *violari*, quando indignè seu contra reuerentiam Deo in rebus ipsi dicatis debitam tractatur. Hinc patet, *sacrilegium* distinguì à *periurio* & *tentatione*, quòd his ipsi Deo immediatè & in se iniuria irrogetur; *sacrilegio* verò in rebus ipsi dicatis. A *simonia* verò iuxta Caietanum distinguitur, sicut furtum vel rapina ab emptione rei alienæ à latrone. sicut enim furtum & rapina sonant commutationem inuoluntariam, emptio à latrone voluntariam; ita sacrilegium dicitur circa rem sacram commutationem inuoluntariam: agit enim inter Deum & hominem, & res Deo sacra contra ipsius voluntatem malè ab homine tractatur. *simonia* verò agit inter duos homines, & fit consentiente parte.

8
Sed hoc discrimen benè probat in *simonia* aliquid amplius includi, quàm in ratione sacrilegij; tamen non conuincit in illa non contineri malitiam sacrilegij; nam qui vendit rem sacram, indignè eam tractat, & violat eius sanctitatem contra voluntatem Dei, qui est illius Dominus; ac proinde sacrilegium committit. Confirmatur, quia huius-

huiusmodi contractus est contra reuerentiam Deo in rebus sacris debitam, nec minus eedit ipsi iniuriam & contemptum, quam violatio loci sacri.

Nec refert quod id fiat consentiente parte, inde enim bene sequitur, non fieri parti iniuriam; non tamen tollit iniuriam quæ fit Deo, sed potius auget. quia etiam ipsa sanctitatem rerum illarum emendo violat, & contra reuerentiam Deo in rebus illis debitam agit. Itaque simonia videtur species quædam sacrilegij: consistit enim in eo, quod speciali modo, nempe emendo & vendendo, res sacra violetur. Confirmatur ex Gregorio cap. 1. Audiuimus 1. quæstione 3. *A sacrilegio hoc factus non dispar dixerim, cum id, quod gratis fieri debuit, sub pecunia pactione casatur.* Vbi Glossa: *Dicitur hic quod sacrilegium & simoniam committunt qui Ecclesiam vel Ecclesiastica beneficia per pecuniam acquirunt vel concedunt.*

DUBITATIO III.

Quomodo species sacrilegij sint distinguenda.

Diuus Thomas art. 3.

Respondetur, Esse distinguendas secundum diuersitatem rerum sacrarum, seu iuxta diuersam rationem sanctitatis, quæ in rebus sacris reperitur. Ita D. Thomas art. 3. tantò enim, ceteris paribus, sacrilegium est grauius, quòtò maiorem sanctitatem obtinet res ea quæ violatur. Dico, ceteris paribus; quia non tantum consideranda est rei sanctitas, sed etiam conditio operis, quo violatur, vtrum multum an parum illi sanctitati repugnet. maius enim peccatum est confringere imagines Sanctorum, quam indeuotè accedere ad Eucharistiam.

Diuus Thomas ponit tria genera rerum sacrarum: tribuitur enim sanctitas *personis & locis, & aliis rebus ad cultum Dei ordinatis*; & hoc modo statuit tres species sacrilegij. Primam, Qua violatur persona. Secundam, Qua locus. Tertiam, Qua res alia. Ad primam speciem pertinet percussio Clerici, fornicatio Ordine sacro initiati, Religiosi, & Religiosæ, & cuiuslibet votum castitatis habentis. Idem tenet Caietanus de violatione cuiuslibet voti personalis: hoc ipso epim quo aliquod opus virtutis Deo voues, te ipsum illi dedicas & consecras, vt ei cultum exhibeas. itaque si omittas, violas tuam personam vt sacra est, iuxta Caietanum.

Aduerte tamen, Præcipuam malitiam contra religionem in violatione votorum esse, non qua parte res Deo dicata indignè tractatur; (in qua indigna tractatione consistit sacrilegij ratio) sed qua parte non seruat promissio Deo facta, & fides irrita redditur, vt Apostolus loquitur. Votum enim est promissio Deo facta, qua non tam sanctificatur aut sacra efficitur persona vouens, quam res quæ vouetur: atqui violatio promissionis per se non est sacrilegium, sed perfidia. Itaque perfidia in Deum est præcipua in huiusmodi peccatis: quæ potest accedere, etiam si aliàs propriè nulla res sacra malè tractetur; vt fit quando per nudam

omissionem rei vota peccatur. Vnde peccatum contra votum, propriè & per se est perfidia in Deum, sicut peccatum contra iuramentum est periurium.

Est tamen etiam in omni violatione voti aliquo modo ratio sacrilegij, clariùs aut obscuriùs, perfectiùs vel minus perfectè. Qui enim vouet castitatem, corpus suum Deo consecrat, vt immune & purum maneat ab omni contaminatione libidinis: ex qua consecratione & dedicatione peculiarem sanctitatem contrahit; contra quam si agatur, erit propriè sacrilegium. hinc virgines Deo dicatæ dicuntur sponsæ Christi. In votis autem, quibus alios virtutum actus, vt paupertatè, obedientiam, orationem, peregrinationem, ieiunium vouemus, non tam apertè cernitur hæc sanctificatio personæ. nihilominus quia persona aliquo modo se dedicat cultui diuino, obligando se per votum ad cultum Deo tali opere exhibendum, videtur & ipsa quodammodo sacra fieri; & ita potest ibi sacrilegium aliquo modo locum habere, dum voluntariè contra illam sanctitatem agitur, vel omititur id quod ipsa postulabat: quamuis, vt verum fatear, parum propriè id sacrilegium dicatur. Aduerte tamen, in huiusmodi perfidiam & sacrilegium non esse duo peccata, sed vnum tantum; quia alterum ex altero necessariò sequitur, soloque respectu distinguuntur. In votis realibus res, quæ vouetur, sanctificari censetur. Vnde si hæc postea ad profanum vsum applicetur, sacrilegium erit: nisi fortè illius fiat iusta redemptio. hoc tamen potius ad tertiam speciem pertinet.

Ad primam quoque sacrilegij speciem pertinet pertractio personarum Ecclesiasticarum ad tribunal sæculare, exactio vestigalium ab iisdem per Principes sæculares, contra Canones; quia Ecclesia in reuerentiam status sacri voluit illas ab his esse immunes, & hac immunitate seruanda Deum in illis per sæculares honorari: quod meritò facere potuit, vt ostensum est supra cap. 33. dub. 3.

Ad secundam speciem pertinent omnia, quæ sunt contra sanctitatem loci sacri. Primò, Effractio vel incendium loci sacri, euersio altaris. Secundo, Effusio iniuriola sanguinis, effusio seminis, excommunicati vel infidelis sepultura, extractio violenta personæ, quæ asyli causa eo se contulit: quod intellige, nisi sit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel commiserit enorme maleficium in loco sacro fiducia asyli, de quibus vide Siluestrum, Immunitas 3. q. 2. Ratio est, quia Ecclesia in reuerentiam loci sacri & cultus diuini voluit loca sacra ab his esse libera, & huiusmodi priuilegio illa honorari. Tertio, Huc etiam referri possunt mercatus, deambulationes, clamores, & alia huiusmodi profana, quæ per se cultum diuinum impediunt, cap. Decret. 2. de immunitate Eccles. in 6. quauis in his posterioribus non semper sit peccatum mortale, maxime si scandalum ablit, & non sit grauis excessus, nec cultus diuinus impediatur. Quarto, Furtum in loco sacro, & quidem si asyli & securitatis causâ res ibi deposita, vt reuerentiâ loci tuta sit, circumstantia loci sacri addit furto malitiam sacrilegij mortiferam: quia sanctitas loci sacri violatur & cõtemnitur. acceperat enim locus sacer, vel potius Deus, quatenus loco sacro præsidet, rem illam in suam veluti fidem & custodiam. Si autem eam ob causam ibi deposita non sit, probabile est rationem

facrilegij mortiferam non esse; quia res illa custodia loci sacri non erat concedita, sed per accidens ibi posita. Quare non censetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari quam per confabulationes, risus, detractiones, contractus sæculares, & similia; in quibus tamen, si scandalum absit, & cultus diuinus non impediatur, non videtur malitia sacrilegij mortifera: non enim habent ista peculiarem repugnantiam cum loci sanctitate, sed solum generalem, sicut omnia peccata externa; nec Ecclesia peculiariter statuit horum abstinentiam locum sacrum honorari; sicut constituit ibi non fieri actum matrimonij, effusionem sanguinis, homicidium, &c.

15
3. Species.
Varias modis res dicuntur sacra.

Ad tertiam pertinent ea peccata, quibus aliæ res sacræ temerantur. Dicuntur autem aliæ res sacræ, vel quia sanctitatem efficiunt, ut Sacramenta: vel quia rebus sacris administrandis sunt instrumenta, ut vasa sacra, vestes sacræ, ornamenta: vel quia sacra significant, ut verba sacra: vel quia ea repræsentant, ut imagines Christi & Sanctorum: vel quia sunt particulæ aut res sacrorum, ut reliquiæ: vel quia sunt mensura actionum sacrarum, ut dies Dominici & festi: vel denique quia ad sustentationem sacrorum sunt dedicata, ut bona Ecclesiarum. Hæc omnia continentur nomine *rei sacræ*, ut distinguitur à persona, iuxta D. Thomam.

16
Violatio Sacramentorum.
Sanctiss. Eucharistia Sacramentum.

Inter hæc primum locum tenent Sacramenta. Itaque ad hanc speciem sacrilegij Primò referenda est omnis iniuria, omnisque abusio Sacramentorum: item perceptio & administratio eorumdem in statu peccati mortiferi. & quia inter Sacramenta supremum locum tenet Eucharistia, quæ non solum sanctitatem efficit, sed etiam ipsum fontem sanctitatis realiter continet; violatio huius est grauissimum sacrilegium, ut rectè diuus Thomas dixit. quod intellige de sacrilegiis quæ committuntur in res sacræ, non autem quæ in personas: nam grauius est sacrilegium, quod committitur in ipsam Christi humanitatem in sua specie se exhibentem, quale erat Iudæorum, Christum malè tractantium & occidentium. Nec obstat quòd in Eucharistia sit etiam persona Christi, eiusque sanctissima humanitas viua & intelligens; quia non exhibet se in modum naturæ intelligentis, sed rei inanimæ. Vnde D. Thomas Eucharistiam refert inter res sacræ, non inter personas sanctitatem habentes.

Secundò, Abusio & violatio vasorum sacrorum; ut si quis vtatur calice consecrato ad potandum, sicut Baltasar vasis templi: si ex vestibus sacris conficiat sibi caligas vel thoraces, sicut multi fecerunt hæretici; si res huiusmodi surripiat.

17
Abusio S. Scripturæ.
Hæretici sacrilegi.

Tertiò, Abusio sententiarum S. Scripturæ ad superstitiones, ad facetias, ad amatoria, &c. Item ad stabilendas hæreses, ut docet D. Thomas ar. 2. vnde omnes hæretici hac ratione sunt sacrilegi; iniuriam enim faciunt verbo Dei, eo abutentes ad stabilienda perniciosâ mendacia: qua in re etiam ipsum Deum auctorem mendacij faciunt, & sic tacitè etiam blasphemiam committunt. Item irreuerentia omnis, quæ committitur in recitando vel cantando Officio diuino, sacrisque caerimoniis obeundis: hæc enim omnia reuerenter & decorè, tamquam res quæ ratione significationis & institutionis suæ sacræ sint, peragi debent. Eòdem per-

tinet musica lasciuia vel profana rebus diuinis adhibita: qua in re multis locis peccatur, & meritò à Summo Pontifice & Prælati Ecclesiæ remedium adhiberi deberet.

Quartò, Mala tractatio vel contractio imaginum sacrarum; si id fiat vt Sancti per eas non colantur, vel ex contemptu illorum, sicut fit ab hæreticis. si indecorè pingantur, vel sculpantur; vt cum D. Virgo instar femine mundanæ exprimitur. in his etiam tacita blasphemiam continetur.

Quintò, Si reliquiæ Sanctorum indecorè habeantur, si dissipentur, eo animo ne colantur.

Aduerte tamen, si hæc indigna tractatio reliquiarum & imaginum spectetur vt est iniuria in ipsos Sanctos, sic non esse sacrilegium, sed peccatum contra obseruantiam & reuerentiam Sanctis debitam ob eminentiam sui status, & opponitur dulciæ. Sed habet ratione sacrilegij quatenus hoc ipsum redundat in iniuriam Dei, cuius sunt ministri, & filij cum ipso regnantes, & ipsius gloriæ confortes. Sicut enim ad honorem Dei pertinet, vt ipsius filij, quos ipse tantopere euexit, & tam sublimes fecit, ipsius intuitu honorentur; ita & multò magis illorum dedecoratio in ipsum refunditur. Sic domestici regis & familiares honorantur maximè ob respectum & coniunctionem quam habent cum rege, & contumelia ipsis temerè facta videtur ad regem pertinere.

18
Omissio Sacri.
Sanctiss. dicit Ipsi.

Sextò, Si dies sacri operibus seruilibus vel aliis prohibitis violentur. Omissio Sacri non tam videtur esse sacrilegium quàm cultus debiti neglectus. sacrilegium enim sonat indignam rei sacræ tractationem: vnde dicit aliquem positium actum circa rem sacram. Itaque in operibus seruilibus potius cernitur ratio sacrilegij, quia per ea sanctitas diei (quæ consistit in eo, quòd dies ille deputatus sit cultui diuino, per auditionem Sacri & abstinentiam operum seruilium, præstando) violatur & quasi contaminatur: quamuis & hic factis imperfectè ratio sacrilegij reperiri videatur. Confirmatur, quia sacrilegium est contra præceptum negatiuum, *Non violabis sacræ*; omissio Sacri contra affirmatiuum. Itaque est contra virtutem religionis, tamquam priuatio actus debiti religionis.

Septimò, Inuasio bonorum vel Iurium Ecclesiasticorum, retentio Ecclesiæ legatorum, &c. hæc enim sæpè in Iure sacrilegia vocantur; vt patet multis Canonibus, 17. quæ st. 4. etsi enim hæc bona nullam in se sanctitatem habeant, tamen Iure naturæ & Canonico ob reuerentiam, quæ cultui diuino debetur, debent esse ab occupatione secularium immunia.

19

Circa prædicta aduerte, non omnia sacrilegia, quæ ad hunc tertium modum pertinent, esse eiusdem speciei propriè loquendo, sicut nec omnia, quæ ad primum, vel secundum. sicut enim longè aliter Sacramenta sunt sacra, quàm vestes sacræ, vel verba sacra, vel reliquiæ Sanctorum; ita quoque indigna horum tractatio diuersæ rationis malitiam continet. Dicuntur tamen eiusdem speciei, nimirum generalis & subalterne, quæ alias sub se species peculiare continent.

DUBITATIO IV.

Quando sacrilegium censendum sit esse peccatum mortiferum, quando veniale.

20
Quale peccatum.

Respondeo, Mortiferum esse, Primò, Quando procedit ex contemptu rei sacræ; vel cultus ad quem refertur: talia sunt sacrilegia hæreticorum, cum vasa sacræ, Sacramenta, altaria, templa, imagines Sanctorum, reliquias & similia violant, profanant, proterunt, vastant: cum Sacerdotes, Religiosos, vel alios viros Ecclesiasticos, quia tales sunt, malè tractat, contumeliis afficiunt, &c. tunc enim ipsum sacrilegium, seu violatio sanctitatis rei directè est intenta. Secundò, Quando fit aliquid voluntariè in materia graui, quod peculiarem repugnantiam habet cum rei sanctitate; vt si habens votum castitatis fornicetur, si actus matrimonij fiat in loco sacro, etsi occultè, extra casum necessitatis, &c. si longum opus seruire die festo.

Secùs si materia sit parua; vt si opus sit breue, vel si non habeat repugnantiam peculiarem cum sanctitate rei, sed solum generalem. quo modo omnia peccata repugnant sanctitati loci & temporis, & personæ; vt si quis loco sacro, vel die sacro detrahat proximo, se inebriet, malum alteri imprecetur, contractum iniquum faciat, &c. tunc enim malitia sacrilegij per se non est nisi venialis, etiam si peccatum, cui coniungitur, per se mortiferum sit. Tertio, Quando ex ignorantia vel negligentia crassa fit aliqua notabilis iniuria rei sacræ; vt si quis malè baptizet, consecret, absoluat; si in irregularitate vel censura ordinetur vel ordinet; si in peccato mortali vel excommunicatione Sacramentum administret, vel accipiat, & alia huiusmodi. Si autem ignorantia vel inaduertentia, ex qua procedit opus, sit leuis, erit solum veniale: si inculcata, nullum.

21
Pena sacrilegiorum.

De penis sacrilegiorum vide multa 17.q.4. Solum Notandum est hoc loco, non omnes sacrilegos incurrere penam excommunicationis lætæ sententiæ ipso facto, sed quosdam tantum. Primò, Percussores Clericorum; cap. 27. Si quis suadente. 17.q.4. Secundò, Incendarios, qui Ecclesias vel alia loca sacra incendunt & vastant; cap. Tua nos. 19. de sententia excommunicationis; estque communis sententia Canonistarum. Verum iste Canon hoc non efficaciter probat, vt ostendit Caietanus v. Excommunicatio, cap. 22. & Nauarrus cap. 27. n. 94. solum enim dicitur, etiam incendarios, ex quo sunt per Ecclesia sententiam publicatam, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam mittendos: vnde Glossa dicit primùm excommunicandos per Episcopum, iuxta hunc Canonem, & tunc publicandos. nullus autem alius Canon est, per quem ipso facto excommunicentur, vt docent Caietanus & Nauar. suprâ. Itaque nisi consuetudine à Prælati approbata (quæ ex communi sententia Doctorum orta esse potuit) excommunicati sint, videri possint non esse ipso facto excommunicati. Suares noster & quidam alij dicunt, illos esse excommunicatos per cap. Conquesti. 22. de sentent. excomm. vbi excommunicantur qui effringunt & spoliant Ecclesias: qui enim incendunt, possunt dici illas effringere, cum

omnino destruant; & spoliare, quia hoc nomine quæuis damnificatio rebus Ecclesia illata continetur; vt si quis frangat, vel laceret, vel comburat imagines, vestes sacras, &c. non minùs spoliatur quàm qui hæc secum asportat. Hæc sententia mihi probatur; cum enim hic Canon editus sit in Ecclesiæ fauorem, verba amplè sunt interpretanda, quantum orationis proprietas patitur.

Tertio, Qui effringunt & simul spoliant Ecclesiam vel alium locum pium; d. cap. Conquesti. 22. de sententia excommunicationis. Vbi nota, alterum non sufficere, sed vtrumque debere coniungi, effractionem & spoliationem; vt Caietanus cap. 21. v. Excommunicatio, & Nauar. num. 94. docent.

Quartò, Qui gabellas, collectas, & similia imponunt Clericis, vel imposta exigunt, vel exigunt absque Summi Pontificis concessu, de quo & aliis quibusdam contra libertatem Ecclesiasticam, vide Bullam Cænz Domini. vide etiam Concilium Trident. sess. 22. cap. 11. de inuasiõibus bonorum & Iurium Ecclesiasticorum, & locorum piorum.

DUBITATIO V.

Quid sit blasphemia, quotuplex, & quàm graue peccatum?

Blasphe-mia generatim significat omne contumeliosum & maledictum in aliquem, præsertim alicuius dignitatis & excellentiæ, vt ex Auctoribus profanis constat, & ex Apostolo 1. ad Corinth. 4. *Blasphemamur & obsecramus.* & ad Titum 3. *Admone illos neminem blasphemare:* hoc est maledicere, conuitiari, vt Hieronymus ibidem docet. Tamen ex vsu Patrum & Theologõrum ordinariè accipitur pro contumelia in Deum; qui est summiæ excellentiæ & dignitatis: nimirum cum aliquid dicitur, quo eius honori derogatur. Vnde D. Augustinus lib. de Moribus Manichæorum cap. 11. *Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis.* Itaque iam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere. De hominibus namque dubitari potest: Deus vero sine controuersia bonus est. Quod igitur in homines est contumelia, hoc in Deum est blasphemia. Nauar. cap. 12. num. 81. sic definit: *Blasphemare est tacite vel expresse verbo vel scripto contra Deum vel Sanctos eius aliquid contumeliosum dicere.* Sed qua parte tendit in Sanctos, non tam videtur esse blasphemia, quæ Deum impetit, & religioni opponitur, quàm peccatum contra honorem Sanctorum, oppositum dulciæ. Verum tamen est quod Nauarrus dicit. Nam contumelia Sanctorum in Deum redundat; & hæc ratione habet rationem blasphemie, non autè quatenus sistit & terminatur in Sanctos. Formaliter itaque definiti potest: *Blasphemia est iniuriosa in Deum locutio; siue: Est locutio in Deum contumeliosa; siue: Est contumelia in Deum verbo irrogata.* Contumelia generatim dicitur omnis inhonoratio; seu omne signum vel factum, quo honori alterius derogatur. Directè enim opponitur honori. Nam etsi potissimum fiat verbis, quæ significandi principatum obsequent, sæpè tamen fit aliis signis, vt ex vsu probatorum Auctorum constat, & docet D. Thomas q. 72. art. 1. Alia enim est contumelia

23

Quid sit.

22

Contumelia.

verborum, alia factorum, vt si quis alteri in faciem spuat, si alapa feriat, &c. Sed ea tantum contumelia in Deum est *blasphemia*, quæ verbis agitur: sicut non omnis honoratio Dei est laus, sed ea sola quæ verbis fit. *Blasphemia* autem directè opponitur laudi diuinæ. Itaque sicut *laus* est honor qui Deo verbis & sermone defertur, cum excellentia eius pradicatur: ita *blasphemia* est contumelia quæ sermone infertur, cum indignè de Deo quis loquitur. Potest autem iste sermo vel esse interior, & sic erit *blasphemia cordis*; vel exterior, & erit *blasphemia oris*. Potest etiam fieri instrumento Mufico, vel scriptura. Omnibus enim his modis vitatum est inter homines loqui.

Contumelia quæ aliis signis fiunt, v. g. quas Iudæi Domino nostro inferebant conspuendo, velando, alapis cædendo, inter latrones crucifigendo, & similes, non erant propriè *blasphemia*, quia non erant iniuriæ verborum, sed factorum; neque consistebant in malè loquendo, sed in malè & iniuriolè ipsius personam tractando; quamuis simul plurimas verborum iniurias seu *blasphemias* his adiunxerint, erantque non tam sacrilegia quæ versantur immediatè non circa ipsum Deum, sed circa res ipsi dicatas & consecratas; quam infandæ contumelia in ipsam personam diuinam ob suam atrocitatem proprio nomine carentes & inloquibiles.

25
Est contra
Religionem.

Ex his patet, *blasphemiam* propriè & formaliter esse contra religionem, cum sit contumelia quædam verbalis in Deum, & eius turpitudò sita sit in eo quòd verbis honori diuino detraharur.

Non obstat quòd D. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. velit *blasphemiam* opponi confessioni fidei; quia id verum est de ea quæ ex animo infideli procedit, vt cum hæreticus (quia sic sentit) dicit Filium esse minorem Patre, Deum esse auctorem malorum, Hæc enim *blasphemia* est confessio infidelitatis, ac proinde opponitur contrariè confessioni fidei; sicut infidelitas fidei. Ea verò quæ non procedit ex animo infideli, sed ex ira, præsertim si imprecando vel optando fiat, non opponitur propriè confessioni fidei. Non enim opponitur priuatim, sicut ommissio confessionis fidei virgente obligatione, vt per se constat: neque etiã contrariè, quia non censetur confessio infidelitatis, aut doctrinæ fidei denegatio, sed solum contumelia quædam, & laeso honoris diuini. Confirmatur, quia talis nihil enuntiat quòd sit contra doctrinam fidei, sed solum optat & imprecatur, non quia putat id fieri posse, aut esse conueniens, sed vt se de Deo quodammodo vindicet. Simili modo qui odit Deum, optat illum non esse, aut non esse omnipotentem; non tamen agit contra fidem, aut eius professionem: quia non iudicat nec significat id ita esse, aut esse possibile, aut conueniens in se; quamuis iudicet esse conueniens suo affectui.

26
Est distincta
malicia.

Addo, etiã pleræque *blasphemias* etiam aliquid contra fidem enuntiant aut insinuant; hæc tamen deformitas formaliter est distincta ab ea quæ consistit rationè *blasphemias*. Alia enim malicia est, nolle credere, vel repugnare doctrinæ fidei; alia, repugnare honori diuino. Nam illud est commune multis aliis quæ non sunt contra honorem diuinum, nec vllam *blasphemiam* continent; v. g. negare purgatorium, indulgentias, Sacramentum matrimonij, & similia, est contra fidei confessionem, non tamen est *blasphemia*. Non enim omnes

hæreses sunt *blasphemias*. Itaque ratio *blasphemias* consistit in eo, quòd dicatur aliquid repugnans non fidei cõfessionem, sed honori diuino. quamuis semper aliquo modo implicite vel explicitè illud sit coniunctum. Idem confirmatur ex eo quòd *blasphemia* in confessione non sufficiat si dicat, Feci contra fidei confessionem, vel dixi hæresim; sed oportet dicere, *Blasphemauimus*; & tamen omnia peccata quatenus præcisè repugnant confessioni fidei, sunt eiusdem speciei; sicut omnes hæreses, vt sunt contra fidem, sunt eiusdem speciei.

Blasphemia tripliciter diuidi potest. Primò, ex parte actus, qui vel est interior vel exterior; & sic alia est *blasphemia cordis*, alia *oris*. Quidam addunt *blasphemiam operis*, cum ipso opere falsum de Deo significatur; v. g. per idololatriam, vel aliis in Deum factorum contumeliis: sed hæc propriè non est *blasphemia*, vt dictum est: quia *blasphemia* est iniuria verborum, non factorum. Secundo, ex parte modi; & sic alia est *enuntiativa*, alia *imprecativa*, alia (vt sic dicam) *dehonestatiua*.

Enuntiativa fit affirmando vel negando, idque tripliciter. Primò, cum Deo aliquid tribuitur, quòd eius excellentiæ non congruit; vt si dicatur auctor malorù, crudelis, iniustus: si probroso nomine compellerur. Secundo, cum negatur id quòd ipsi competit; vt cum negatur trinitas personarum, vel generatio Filij, vel æqualitas Filij cum Patre, vel processio Spiritus sancti ex Filio. Eòdem pertinet cum dicitur, *Negego Deum*; quamuis quidam putent id dici per modum iuramenti; vt sensus sit, Nisi ita sit, nego Deum. Sed reuerà est *blasphemia* saltem conditionalis. Non enim adducitur Deus in testem, sed negatur existere, nisi quòd dicitur sit verum, qua in re est maxima iniuria, quòd ex tam vili causa homo tam indignè de Deo loquatur, & paratus sit illi tantam contumeliam absolutè irrogare. Tertio, cum id quòd proprium est Dei, tribuitur creaturæ, vt cum Pharisei dicebant: *In Beelzebub principe demoniorù eicit demonia*. quibus in verbis duplex erat *blasphemia*. Nam diabolo tribuebant id quòd manifestè diuina fiebat virtute: & Christo, qui erat Deus, tribuebant commercium cum diabolo. Similiter cum idolo vel creaturæ dicitur: Tu es Deus meus, tu me ab hostibus meis liberaisti. Sic cum Israelitæ dicebat de vitulo constabili: *Isti sunt dii tui Israel, qui te educerunt de terra Egypti*; Exodi 32. Hi tamen tres modi non distinguuntur specie, sed sunt vnus rationis, vt docet D. Tho. q. 13. a. 1. ad 3. Nam attribuere Deo quòd ei non conuenit, & remouere ab eo quòd ei conuenit, non differunt nisi secundum affirmationem & negationem; quæ non variant rationem iniuriæ vel contumeliæ, sicut nec rationem notitiæ vel erroris. Ea autem quæ Deo sunt propria tribuere creaturæ, nihil videtur aliud, quàm tribuere Deo quòd ipsi non conuenit, & significare ipsum non distinguì à re creata, vt ibidem docet.

Imprecativa *blasphemia* est, cum quis optat siue imprecatur Deo malum. Talis est *blasphemia* damnatorum, & pessimorum hominum.

Dehonestatiua est, cum quis membra Christi, vel Sanctorum, indecorè & inhonestè nominat. Vide Natur. cap. 12. num. 85. & Caiet. in Summa v. *Blasphemia*.

Petes, Vtrum sit *blasphemia*, cum iuratur, vel ex ira dicitur, caput Dei, corpus Dei, sanguis, mors Dei; quibus loquendi modis milites lingua vulgari

27
Diuisa.

28

gari sæpè solent vti. Respond. Si velint indicare, Deum ista habere secundum diuinitatem, est vera blasphemia; quia tribuitur diuinitati, quod ei non congruit: si verò loquantur in genere; & velint significare illa in Deo esse, eo modo quo in Ecclesia audiuerit illa Deo competere, non est blasphemia; quia post incarnationem Domini illa verè Deo conueniunt. ita Caietan. & Nauarrus supra. Sunt tamen pessimi modi, & valde ad blasphemiam vergentes. quia illæ locutiones potius indicant ista per se conuenire diuinitati, & proferuntur modo satis indecoro.

29 Tertio diuiditur ex parte termini: hoc modo alia est in Deum immediatè, alia immediatè in Sanctos, vel in creaturam, vt ad Deum pertinet, mediatè verò in Deum. Prior iam satis explicata est. Altera quæ in Sanctos, non habet rationem blasphemiam propriè vt in ipsos terminatur; sed contumeliæ oppositæ honoris Sanctorum; & obseruantia ipsi debita. quatenus tamen in Deum redundat, habet rationem blasphemiam, vt dictum est supra.

Blasphemia in Sanctos.

Dices, Cultus & laus Sanctorum non habet rationem latriæ, sed dulia tantum & obseruantia supernaturalis: ergo neque contumeliæ Sanctorum habent rationem blasphemiam. Respond. negando consequentiam: quia minus requiritur ad rationem peccati quam virtutis. Vt enim dicatur latria, requiritur vt directè intendatur honor Dei tamquam principale motiuum: vt autem fit iniuria Dei & contumelia, non requiritur vt ea sit directè intenta, sed sufficit vt ex opere quodammodo redundet, idque sit animaduersum. Sicut si quis diceret, aulicos Regis, quos ipsè magni facit, & honorari vult, esse homines imprudentes, vel mendaces, vel parum dignos illo gradu, &c. iniuriam faceret Regi: quia significaret Regem vel ignorare istos illorum defectus, vel talibus hominibus delectari, &c. Pari modo, cum quis maledicit creaturæ, non est blasphemia, si id fiat absque respectu ad Deum. Vnde non est peccatum mortale, si ab sit iniuria alterius: si verò id fiat in ordine ad Deum, quatenus est res Dei, sic est blasphemia in Deum: nam est ipsi Deo imprecari malum in suis bonis externis; vt cum quis maledicit rebus sui inimici, ipsi malum imprecatur. Similiter si quis aliquid in creaturis calumniatur tamquam non bene factum, vel quasi melius & perfectius in sua specie fieri potuerint. Maledicere autem creaturæ quatenus nobis fuit occasio peccati, vel magnatum calamitatum, per se non est peccatum. sic Iob maledixit diei natiuitatis suæ; & Dauid montibus Gelboë. secus si molestia sit parua. Hæc enim non est iusta causa maledicendi; quomodo aurigæ maledicunt interdum suis equis, & nauæ ventis. Verum ordinariè non est nisi peccatum veniale, vt docet Caiet. 2. 2. quæst. 13. art. 1. & Nauar. c. 12. n. 86.

Maledicere creaturæ.

30 Quod ad peccati huius grauitatè attinet, constat ex genere suo esse mortiferum valde graue. Est enim contumelia in Deum, & ipsum Deum directè impetit. Cum enim aliter Deo nocere non possit homo, lingua sua veluti funda contumelias & verborum iacula in eum vibrat. Et quidem si sit directè volita, vt dum fit animo conuertiendi Deo, siue ex odio in Deum, siue ex furore iracundiæ, sic est grauissimum inter ea quæ religioni opponuntur; quia intenditur malum Dei: in ceteris autem

31 Grauitas peccati.

hoc non intenditur. Vnde etiam est grauius idololatria, periurio, violatione voti, & sacrilegio. Hoc modo Glossa in cap. 18. Isaia ex Hieronymo dicit: *Omne peccatum comparatum blasphemia, leuius est.* Imò ex hac parte videtur grauius infidelitate: quia per infidelitatem non intenditur malum Dei. Si autem non fiat animo conuertiendi Deo, sed ex ira in hominem vel impatientia, sic non est grauius idololatria, & quibusdam aliis: est tamen peccatum mortiferum valde graue; quia graniter lædit honorem diuinum: sicut qui proximo detrahit, vel contumeliam facit aduertens quid agat, grauitè peccat; etiam si directè non intendat illum lædere, sed ex quadam loquacitate, vel nimia libertate id fiat. Fieri tamen potest vt sit veniale. Primò, Si ioco vel in modum apologi dicatur; vt subinde fit in quibusdam narratiunculis. Tunc enim non est vera blasphemia: quia non intendit aliquid significare, quod sit Deo indignum, etsi modis loquendi non satis idoneis vtatur. Secundò, Si non aduertat saltem perfectè quid dicat; siue id fiat ex passione aliqua & subita indignatione, siue ex praua consuetudine, lingua mentem præuertente, vt docet Nauar. numero 84. Hoc ipso enim quo deest animaduersio, deest nouum voluntarium, & noua libertas; ac proinde noua culpa letalis. Vnde si nullo modo aduertat, vacabit omni culpa etiam veniali. Cui tamen ex consuetudine id accidit, tenetur sub peccato mortali illam consuetudinem corrigere, & operam dare ne in huiusmodi actus etiam inculpato prorumpat: quia sunt honori diuino iniuriosi. Vnde id omitendo censetur honorem Dei parui pendere, & parum curare quòd ipsi faciat contumeliam. Itaque etsi in confessione non teneatur illos actus explicare, cum non sint voluntarij vt actus, sed vt effectus, & solùm confusè in illa omissione & negligentia; tamen tenetur explicare se habere talem consuetudinem, eamque neglexisse emendare. Idem dicendum de simili consuetudine in iurando.

Potest esse veniale.

Petes Primò, Vtrum blasphemia possit esse venialis ex materiæ paruitate? Respond. Non posse, quia nulla in Deum contumelia potest esse parua, si cum plena animaduersione fiat. Sic neque periurium, neque idololatria venialis esse potest.

32

Petes Secundò, Vtrum omnes blasphemiam sint eiusdem speciei? Caietan. q. 13. art. 1. affirmat. ait enim: *Aduerte, quòd quia species blasphemiam non diuersificatur per Deum & Sanctos, nec per tria illa in littera numerata, nec per enuntiatione & desiderium, nec per honore, famam, & huiusmodi in vna & eadem specie est blasphemia Dei & Sanctorum; siue id fiat per modum maledictionis, siue contumeliam, siue irrisionis, siue detractionis. Et infra: Hinc habes confessor, quòd varietas blasphemiarum pro diuersitate specifica non est inquirenda, sed pro maiori grauitate iudicanda.* Hæc sententia Caiet. est satis probabilis, si sola blasphemiam malitia consideretur. Confirmatur; quia valde probabile est, omnes contumelias seu apertas iniurias contra honorem alterius esse eiusdem speciei: similiter omnes detractiones siue iniurias occultas, quibus fama læditur; vt docet Emmanuel Sà in vltima editione Romana: ergo idem dicendum de contumeliis in Deum. Et quamuis detraçtio & contumelia in homines distinguantur, sicut furtum & rapina: quia contumelia læditur honor violentè, nimirum in presen-

An eiusdem speciei.

tia

ria hominis, vel ut ipse cognoscat & sentiat; detractio occulte, ut non sentiat: tamen in Deum hæc distinctio locum non habet. Nam omnia in eius præsentia fiunt. Vnde contumelia & detractio in Deum sunt eiusdem rationis, ut docet D. Thomas q. 76. art. 4. ad 1. & Caiet. hoc loco.

33
Quomodo
confitenda.

33
Addo tamen Primò, Si blasphemia procedat ex odio, vel desperatione, vel infidelitate, id esse necessariò in confessione explicandum: quia etiam si ipsa malitia blasphemiae per se sit eiusdem rationis, tamen accedit noua & distincta malitia ex motivo à quo procedit, & cuius affectu imperatur. Vnde cum malitia horum actuum sit planè distincta à malitia propria blasphemiae, accedit blasphemiae noua deformitas, quatenus ab illis procedit, & tamquam actus externus informatur. Secundò; aperiendum quoque; utrum procedat ex odio in Deum, ut fit in damnatis, & interdum in pessimis hominibus, an ex iracundiae furore. Nam & hæc peccata sunt diuersa rationis, & consequenter ipsi actui externo diuersam malitiam impertunt. Tertiò, verum fuerit directe volita, ut cum sit animo faciendi contumeliam Deo; an indirectè solum, ut cum fit ex ira erga hominem, ad ostendendam animi indignationem, vel ex impatientia absque prauo motu in Deum. Etsi enim indirectè volitum censetur absolute voluntarium, & esse eiusdem speciei ac volitum directè; tamen id non habet locum, quando obiectum volitum est aliqua iniuria vel deformitas honestati virtutis contraria; ut patet cum inobedientia vel ingratitude est volita directè. Longè enim alterius rationis peccatum est, cum facis aliquid directè intentione ut legem vel præceptum Superioris violes; aliud cum solum indirectè id velle censeris: ut dum alia intentione vis & facis opus, quod contra legem esse nosti. Idem patet in violatione voti, iuramenti, & aliarum virtutum. Quare idem dicendum cum quis directè intentione blasphemat, Dei contumeliam intendens. Hæc enim est formalissima blasphemia. Ratio est, quia cum aliquid directè est volitum, est peculiaris & positus affectus erga illud obiectum, qui ab illo speciem accipit: qui affectus non est in eo qui solum indirectè & interpretatiue illud vult. Vnde si illud obiectum sit aliqua malitia, affectus ille incomparabiliter peior est, quam is quo solum intenditur aliqua voluptas, vel aliud non per se malum. habet enim positam tendentiam in malum tamquam in suum proprium obiectum: cumque in illud tendat tamquam in finem, respicit illud sub ratione illimitata, & non solum ut est in hoc vel illo actu. Itaque altiori modo est malitia in actu, cum est directè volita, quam cum indirectè so-

Quando
directè vo-
litum effi-
ciat distin-
ctam spe-
ciem.

lùm. Sic incomparabiliter peius est violare legem odio legis, quam affectu voluptatis vel commodi: & facere alicui iniuriam affectu ipsi nocendi, quam tibi consulendi. Parii itaque modo multò peius est blasphemare Deum ut ipsi contumeliam irroges, quam ut iram tuam in hominem declares. Vnde non dubium est, quin hoc in confessione tamquam peculiaris species, in qua ipsa malitia est directè volita, sit aperiendum. Quarto, si fuerit blasphemia in Sanctos, id etiam aperiendum: quia etsi fortè, qua parte redundat in Deum, est eiusdem rationis ac alia blasphemiae; tamen additur noua malitia, quatenus ipsum Sanctum in se iniuria afficit. Verius tamen puto, blasphemiam in Sanctos etiam ut in Deum redundat, esse diuersam rationis; quia solum mediè circa Deum versatur, nisi fortè fiat expressè in ipsos quatenus habent respectum ad Deum.

De pœnis in blasphemis vide Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 12. In veteri lege ³⁴ iussit Dominus lapidibus obrui, Leuit. 24. ^{Pœna blas-} ^{phemiae.} *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis siue peregrinus fuerit.* Iure etiam civili morte plectendi: Auth. Ut non luxurientur in fine. Sed hæc pœna his temporibus ob defectum religionis & iustitiæ non seruatur, ut ait Lucas de Penna in l. Omnes. C. de delatoribus. & Julius Clarus §. Blasphemia, num. 3. atroces tamen quibusdam locis puniuntur morte; alia trimeibus, exilio, linguæ abscissione vel per tussione, ut refert Clarus. Iure Canonico laicis blasphemantibus olim erat constituta solemnis pœnitentia, ut patet ^{Pœnitentia.} cap. 2. de maledicis. Sed hæc modò non est in vsu. ^{ita.} Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 9. §. Ad abolendam iubet ut non absoluantur in foro conscientie absque grauissima pœnitentia. Hic tamen prudentia opus, & conditio ac capacitas personarum consideranda. Fumus v. Filasphemia, in fine dicit, hoc non esse vsu probatum: vnde totum relinquitur prudentie Confessoris, sicut in aliis criminibus. Ibidem statuitur, ut qui blasphemantem ^{Corripien-} ^{di.} audierit, eum acriter obiurgare teneatur, si citra periculum id fieri possit. Ad quod etiam tenemur, etiam si non speretur emendatio, modò aliud malum non timeatur; v. g. ne amplius blasphemet. Ratio est, quia tenemur honorem diuinum tueri. hic tamen prudentia opus est. Sufficit plerumque rei grauitatem absque alia verborum asperitate ob oculos ponere. Nulla censura huic sceleri annexa, nec Iure communi absolutio seruata Episcopo. Quibusdam tamen locis Episcopi sibi referunt: sed hoc DD. intelligunt de blasphemia publica.

Hactenus de Religione & vitiis ei aduersis.